

committere poterunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traixerunt ».

Suffragatur 4) testificatio Patrum. Cyprianus epist. LIX: « Si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima natalitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata ». Prudentius carn. De natura Animae, ver. 909. seq. Haec prima est natura animae: sic condita simplex, - decidit in vitium per sordida foedera carnis, - Exin tincta malo peccamine principis Adae, - infecit genus omne hominum quod pullulat inde: - et tenet ingenitas animarum infantia in ortu - primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons... Inde secunda redit generatio, et inde lavatur - naturae inlucies, iterumque renascimur intus - perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam ». Ioannes S. R. E. Diaconus sec. V. epist. ad Senarium virum illustrem de ritibus ad baptismum pertinentibus. n. 3. « Omne genus humanum in ipsis, ut ita dicam, mundi canubulis praeveraricatione primi hominis in morte fuit iure conlapsum, nec ab ea poterat redimi nisi affuerit gratia Salvatoris... Non est ergo dubium, quod priusquam aliquis renascatur in Christo, diabolicae potestati teneatur adstrictus, cuius laqueis nisi inter ipsa primitus fidei rudimenta veraci professione renuntians exuatur, ad salutaris lavacri gratiam non accedit. Et ideo hunc oportet prius catechumenorum auditorium introire... Institutur namque ecclesiastico ministerio per benedictionem imponentis manum, ut intelligat, quis sit, quisve futurus sit... Exsufflatus igitur exorcizatur, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus; et a potestate erutus tenebrarum transferatur in regnum gloriae claritatis Dei... Exsufflatur itaque, quia tali dignus est ignominia desertor antiquus. Exorcizatur autem, id est coniuratur, ut exeat et recedat, illius agnoscens adventum, cuius creatam in paradisi felicitate imaginem prava suasionem deiecerat. etc. »

Quare haec duo, baptismum conferri in remissionem peccatorum et conferri in adoptionem filiorum, haec, inquam, ita cohaerent in praesenti ordine ut unum alterum supponat. Nam in praesenti ordine adoptio quae omnibus inesse debet, deesse nequit nisi propter peccatum: qui ergo baptizatur ut adoptetur, baptizatur ut a peccato liberetur.

Tandem Ecclesiae sensum de necessitate baptismi in remissio-

nem peccatorum declaravit rursus et confirmavit Synodus Tridentina. Sess. V. c. 4, repetens verba Conc. Carthag. iam citata.

Nota. Augustinus alicuique Patres nedom ex necessitate baptismi sed et Eucharistiae argumentantur contra pelagianos. Huius argumentationis processus talis fuisse videtur. Quandoquidem Pelagiani distinguentes inter vitam aeternam et regnum caelorum, hoc cum catholicis negabant parvulis non baptizatis propter Christi verba: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, illam vero concedebant; parvulis enim innocentibus aliqua beatitudo adserenda erat: Augustinus ut hanc divisionem excluderet, praeter alia argumenta, hoc quoque ex Scriptura petivit quo ostenderet parvulis non baptizatis neque vitam aeternam deberi. Igitur praeter alia argumenta (Th. XLIII, p. 1. n. 4) sic quoque est argumentatus: Parvulis non baptizatis non debetur regnum quia dixit Christus *nisi quis renatus* etc; atqui Christus pariter dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat carnem meam... habet vitam aeternam*: ergo qui non manducat carnem Christi et non bibit sanguinem eius non habet vitam aeternam: atqui parvuli non baptizati non manducant Christi carnem, nec eius sanguinem bibunt; ergo parvuli non baptizati nedom a regno caelorum sed et a vita aeterna excluduntur, ergo distinctio haec, secundum quam parvulis non baptizatis datur vita aeterna, negatur regnum caelorum, inanis est et contra Scripturas. Verum difficultas sponte oriebat ex hac argumentatione Augustini: videtur enim supponi necessitas sumptionis Eucharistiae ad vitam aeternam assequendam; unde esset consequens quod parvuli baptizati, si decederent sine participatione corporis Christi, non essent habituri vitam aeternam, quod falsum est. At difficultas facile expeditur. Nam visus argumenti Augustini in hoc est quod parvuli non baptizati non possint, non sint capaces illius cibi quod conservatur vita in praesenti ut postea in futuro vita aeterna oblineatur. Quod indicium est ipsos carere ea vita interiori qua disponantur ad vitam aeternam. Parvuli vero baptizati habent interiorem vitam, seu quod aliis verbis Augustinus dicit, habent societatem cum Christo, cuius signum est Eucharistia, ideoque spiritaliter iam manducant carnem Christi. Lege Fulgentium in epistola de baptismo Aethiops. Cf. August. de pecc. mer. et remis. L. III, c. 4: Tract. XXV. in Ioan. n. 45. Innocentium I. epist. ad Episcopos Conc. Milev. Vide Thomam III. p. q. 73. Porro constat Eucharistiam olim parvulis datam fuisse, non eo quod crederetur ipsis necessaria, sed ad integrale complementum ritus

initiationis, cum tunc adultis baptizatis, qui frequentes erant, idem sacramentum statim administraretur. Sed haec per transennam dicta sint, sunt enim propria alterius tractationis.

Thesis LXX.

Eadem veritas propagati peccati originalis ita constanti Maiorum traditione continetur, ut frustra omnino sint, qui Patres aut Scriptores graecos Chrysostomum, Theodoretum, Cyrillum Hierosolymitanum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Nyssenium, Latinos Tertullianum, Optatum, Arnobium iuniorum, Ambrosiastrium in ea sententia fuisse putant quam Pelagius Caestiusque defenderunt.

I. Ex thesi praecedente evidens est persuasionem fuisse constantem et universalem Ecclesiae baptismum conferri in remissionem peccatorum; ergo ut qui baptizandos omnes etiam parvulos credebant, parvulis quoque peccatum inesse dicendi sunt credidisse. Atqui nemo est ex Patribus, qui non crederet necessarium esse omnibus baptismum etiam parvulis. Etsi enim quaestio esse potuerit penes quosdam, utrum nec ne praestaret differre baptismum ad eam aetatem, in qua quid recipiatur intelligi possit, attamen omnibus persuasum erat necessitatem suscipiendi baptismi omnibus ab ipsa origine insitam esse, ita ut, si vita periclitarentur infantes, essent prorsus baptizandi. Ergo omnibus Maioribus certum erat dogma peccati originalis.

Accedunt usitatae Patribus formulae, quibus peccati originalis propagationem significare solebant. Nam vel cum Origene dicebant maledictionem Adamo indictam omnibus esse communem (Cont. Celsum L. IV. n. 40) vel cum Tertulliano ita loquebantur (Test. anim. c. 3). « Satanam dicimus malitiae angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem, per quem homo [a primordio circumventus, ut praecipuum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit. » aut cum Nazianzeno or. 23. « Omnes eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti sumus, » etc. vel cum Irenaeo L. V. c. 14. « Deum in primo Adamo offendimus non facientes eius praecipuum »: aut cum Ambrosio in Luc. VII, c. 43. « Fuit Adam, et in illo fuimus omnes, periit Adam, et in illo omnes perierunt: » aut cum Basilio Orat. de ieiunio: « quia non ieiunavimus, decidimus a paradiso: » sive cum Athanasio (Tract. in illud: omnia mihi tradita etc.) « Postquam peccavit, et cecidit homo,

eo cadente omnia sunt perturbata. Mors ab Adam usque ad Moyssem invaluit, maledicta est terra, inferni aperti sunt, clausus est paradysus, caeli infensi nobis sunt facti, ac denique corruptus est homo, et inmentis similis factus est: » sive cum Optato Milevit. L. IV, n. 6. « Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi ac separari: » Cf. dicta in praeced. Th. p. II. Ex doctrina autem contenta locis ibi citatis facile intelligens praesentiam spiritus immundi qui expellitur ante lavacrum supponere peccatum quod lavacro mundandum est.

Et sane seriem testium, quae hanc perpetuam fidem in Ecclesia probat, profert S. Augustinus contra Iulianum LL. I. et II, quorum testimoniis recitatis, ait L. II, c. 10. « Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati, et divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes Irenaeus, Cyprianus, Reticus, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omitam eos, qui nondum dormierunt, adversum vos profertur de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam ». Conferri possunt horum testimonia apud Augustinum loco citato.

II. In re tam certa postulari a nobis praeterea non potest nisi ut demonstremus perperam haereticos ad quorundam Patrum auctoritatem provocare. Quod ut exsequamur duplicem quaestionem stingimus: 1. an veteres Patres illud docuerint quod Pelagianae haeresi adversatur; 2. an docuerint reatum quoque culpae Adami derivari in posteros. Ratio distinctionis est quia si Patres docent propter peccatum primi parentis vitiatam esse naturam, omnes homines condemnatos esse mortalesque factos, nec proinde tales nasci qualis ab initio Adamus fuit, si haec inquam, docent, licet expresse reatus culpae propagati in omnes mentionem non faciant, quod tamen nisi explicite negent, intelligendum est secundum sensum catholicum qui postea explicatus fuit, ab iis implicite affirmari, iam satis adversantur haeresi pelagianae quae his contraria prorsus affirmabat. Iam vero nullus est ex Patribus qui citantur qui illa non docuerit. Quaestio igitur reliqua est an omnes docuerint reatum ipsum culpae seu peccatum proprie dictum in posteros transire. Quaestio vero fit propter aliquos quos citavimus in Th. qui videntur illud negasse.

Hanc quaestionem ut solvamus, hos praestituimus canones. 1. Cum certum sit creditum semper esse in Ecclesia baptismum conferri in remissionem peccatorum, cum certum sit in Ecclesia latina et graeca seculo quinto explicationem dogmatis de vitata et perdita huma-

na natura per peccatum Adami illud veluti principium comprehendisse quod reatus quoque culpae transierit ad posteros; praesumentum est praecedentes Patres, qui et baptismum infantibus conferebant, et qui vitiatam et perditam humanam naturam per peccatum Adae fatebantur, illud ipsum principium implicite saltem affirmasse, nisi diserta quaedam eorum affirmatio aut negatio huic sensui adversetur. 2. In locutione ambigua ea verborum Patrum interpretatio est vera existimanda, quae cohaeret cum doctrina ab his tradita, quae iuxta sensum communem Ecclesiae accipienda est, siquidem possit verbis Patrum ea interpretatio adhiberi. 3. Legitima methodus interpretationis exposcit, ut si quis gravis auctor de eadem re saepius scripserit, eiusdem sententiae, quoad eius fieri potest, harmonice concilientur. 4. Non perinde est aliquid negare atque silentio praeterire. 5. Aliquid, etsi directe non significetur, potest indirecte significari.

III. Iam vero ut a Chrysostomo, in quo magis exsultant adversarii, exordiamur, haec monemus. a) Laudatum fuisse eius fidem etiam in eo quod spectat ad controversiam pelagianam a R. P. Caestino, qui epist. XIII (Gallandi Tom. IX) ad Nestorium, n. 1. cum dixisset quietem tandem habere Ecclesiam cum nefandum dogma Pelagii telo unitae sententiae oriens occidensque percusserit: subdit quod eos haereticos antecessor quoque mediatas Nestorii Atticus persecutus fuerit « Catholicae fidelis magister, et vere beato Iohanni (Chrysostomo scilicet) ad ista successor ». Duas Synodos Constantinopoli habuit Atticus adversus Pelagianos, quarum quidem acta perierunt, sed in quibus proscriptam fuisse haeresim negantem originale peccatum colligi potest ex his Caestini dictis in eadem epist. n. 8. « Legimus, ait ad Nestorium, quam bene tenes peccatum originale, ... quid tecum faciunt qui sunt haec negando damnati? ... Cur ea quae in hos sunt tunc acta quaeruntur, cum certum sit illinc ad nos a catholico tunc antistite Attico gesta directa? » Monemus b) nunquam Chrysostomum negasse peccatum originale: c) imo plus semel satis aperte tradidisse communem doctrinam: d) testimonia quae obiciuntur conciliari posse cum eadem communi doctrina, imo e) debere. Sane quoad primum, quod negans est, certum est ex eo quod nulla afferri possint testimonia, quibus haec negatio contineatur; an vero huic negationi aequivalent ea, quae nobis obiciuntur, mox videbimus. Itaque quoad secundum, en 1) doctrina Chrysostomi quoad effectus baptismi: hom. XL in 1. Corinth. « Solus Deus hoc facit (peccata dimittere) quod quidem operatur in lavacro regenerationis. Ipsam enim animam tangit gratia, et illic peccatum evelit radicibus. Propterea eius quidem, qui est dimissus a rege, sordidam videre licet animam; eius autem qui est baptizatus, minime,

sed ipsius solis radiis puriorem, et qualis fuit generata ab initio... Itemque corporum resurrectionem hinc quoque rursus tibi facit credibilem. Nam quoniam peccatum mortem intulit, exsiccata radice non est amplius dubitandum de fructus interitu ». Porro in hoc testimonio duo sunt animadvertenda: Primum, per baptismum animam fieri talem qualis fuit ab initio, h. e. qualis anima creata fuit a Deo in iustitia et sanctitate veritatis; revocari nempe ad eam conditionem in qua erat anima primi parentis ante peccatum. Atqui haec doctrina continet evidenter haec alia doctrinae capita, animam baptizandi carere sanctitate, sanctitate quae ipsi ex institutione Dei conditoris naturae inesse deberet, sanctitate ea, quae ab initio fuit, et per peccatum primi parentis amissa est; atqui carentia debita sanctitatis propter culpam primi parentis, est ipsum peccatum originale: ergo. Alterum advertendum est, peccatum esse radicem mortalitatis, hanc radicem exsiccare baptismo; atqui peccatum illud cui mors debita est in poenam, est peccatum primi parentis, quo immortalitatem amisit sibi et nobis; si autem radix haec baptismo exsiccat, sive si peccatum hoc baptismo deletur, necesse est ut in singulis nobis hoc peccatum sit: ergo. Chrysostomus itaque effectus baptismi declarans dogma peccati originalis professus est.

2) Ex homilia ad Neophytos (haec homilia exstat in editione latina operum Chrysostomi Parisiis 1588. Tom. V. pag. 618: eius textum graecum legit certe Augustinus) testimonium producit Augustinus cont. Iulian. L. I. c. 6. « Venit semel Christus: invenit nostrum chirographum patrum, quod scripsit Adam: ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis ». Porro si haec verba rite perpendantur, clarum exhibent professionem peccati originalis. Etenim debitum, de quo loquitur, est reatus culpae, cui debetur poena; augetur enim hoc debitum per peccata, quae eo ipso quod posteriora dicuntur, iam aliud supponunt peccatum. Iam vero hic reatus culpae non mansit in solo Adamo, sed in ceteros quoque transit. Quod quidem dupliciter haec a Chrysostomo significatur, primo quia chirographum, quod scripsit Adam peccando, dicitur nostrum; debitum ergo quod in chirographo scripsit Adamus, est etiam nostrum; deinde, quia Adam dicitur induxisse initium debiti, cui foenus accrescit per nostra peccata; ergo et ad nos quoque spectat debitum illud. Nam 1) si per Adamum est initium debiti, ergo debitum Adami et nostrum est unum: fac enim esse aliud et aliud: singula in singulis hominibus inciperent: ergo debitum in Adamo quidem inceptit, sed ad alios quoque continuatur. Et sane 2) debitum, cuius nos foenus auximus, nostrum est quoque; nam secus nostra peccata rationem arguentis

foenus erga illud non habent, sed nova tantummodo debita constituerent: ergo.

3) Hom. 40. in epist. ad Rom. expendens verba com. 14, ait: « Unde liquet, quod non ipsum peccatum transgressionis legis, sed peccatum illud inobedientiae Adami, ipsum illud, inquam, peccatum erat quod omnia perdebat. Et quaenam rei huius probatio fuerit? nempe quod omnes ante legem interierent... Propterea et typus est Iesu Christi Adam... Ut quum tibi dixerit Iudaeus: quo pacto recte agente Christo, universus orbis salvatus est? possis ipsi dicere: quomodo uno inobediente Adamo orbis condemnatus est? Quamquam nihil simile inter se habent peccatum et gratia, mors et vita, diabolus et Deus, sed horum discrimen infinitum... Certe quod ratione nitatur id quod factum est, demonstravit quum dixit: At non ut peccatum, ita et donum etc. Quod enim ait, sensum hunc habet; si tantum valuit peccatum, et hominis unius peccatum; gratia, et ea Dei gratia, nec Patris solum, sed et Filii, quomodo non superavit magis? Hoc enim multo rationabilius: alterum enim talis peccato puniri, non admodum aequum et conveniens esse videtur, at alterum propter alterum servari, et decentius multo, et rationi magis consentaneum videtur. Igitur si illud factum fuit, nullo magis hoc... Mortem et condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit, gratia autem non illud modo peccatum sustulit, sed et quae post illud supervenire ». Videt in his verbis Augustinus (ibidem) doctrinam traditam peccati originalis. Habes enim inobedientiam Adami causam esse omnis perditionis; uno peccante Adamo universum orbem condemnatum esse; porro non damnatur nisi reus: peccatum ergo unius Adami universo orbi imputatur, ut eo peccante orbis universus damnatur; opponi Christum et Adamum, atque utriusque effectum, mundum nempe salvatum per Christum, eundemque mundum damnatum per Adam: atqui mundus salvatur per Christum gratia singulari propria iisque inhaerente, ergo et condemnatur mundus propter peccatum singulis proprium et inhaerens; distingui condemnationem et mortem, quae ab uno peccato allatae sunt, nempe homines propter peccatum Adami non solum subiectos fuisse morti, sed et damnatos, h. e. in iis rationem quoque propagari, propter quam digni sint morte. Atqui haec, quae a Chrysostomo dicuntur, adversantur prorsus doctrinae pelagianae; suique rationem sufficientem habent in fide peccati originalis. Ergo.

IV. Nunc ad tertium procedentes audiamus ea testimonia quae obiciuntur nobis. Tria sunt potissima: et duo ex his desumpta ex eadem hom. 40. in epist. ad Rom. tertium ex illa hom. ad Neophytos, ex quibus Augustinus argumentum pro causa catholica excerptis.

Quae quidem simplex animadversio potest per se sola esse nobis ratio cur dubitemus vere ne negaverit Chrysostomus peccatum originale. Primus locus ex eodem contextu hom. X. in epist. ad Rom. « Quo igitur pacto mors introitit ac dominata est? per peccatum unius. Quid porro illud sibi vult, in quo omnes peccaverunt? illo lapso et ii item qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo omnes mortales. »

Alter locus pariter ibidem ubi de eadem re disputans enarrat versum 19. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, inquit: « ac videtur quidem quaestionem non parvam habere quod dictum est, sed si quis accurate attenderit, et hoc facile solvetur. Quanam igitur quaestio fuerit? dicere videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores exstitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, et qui ex eo orti sunt, esse tales, nihil absurdum; at ex illius inobedientia alterum peccatorem exstitisse, id vero quam, obsecro, congruentiam consequentiamque habet. Invenietur enim sic nec poenas quidem debere, qui talis fuerit, siquidem non ex se ipse peccator exstiterit. Quid igitur hoc loco (Rom. v, 19) verbum hoc peccatores significat? mihi videtur tantumdem significare, quantum illud: supplicio obnoxii, ac mortis rei. ὁπερ θανοὶ κολάσει, καὶ καταδικάζονται θανάτῳ. »

Tertius locus ex homilia ad Neophytos. « Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus, qui fecit universa et convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfrungetur, qui tenebantur paulo ante captivi, et cives Ecclesiae sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, et iustitiae in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti, non tantum sancti sed et iusti, non solum iusti, sed et filii, non solum filii, sed et heredes, non solum heredes, sed et fratres Christi, nec tantum fratres, sed et coheredes, non solum coheredes, sed et membra, non tantum membra, sed et templum, non tantum templa sed et organa Spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates: et nonnulli deputant caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, quamvis non habeant peccata, ut in eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint. »

Iam vero ad primum quod spectat, iam illum explicavimus in Th. LXVI. Modo advertantur haec. Peccatum unius causam esse mortis omnium clare docet Chrysostomus explicans versum sequentem, ubi exponit objectionem in daeorum ita: « si ergo, inquit, hoc peccatum ex legis transgressionem mortem peperit, quomodo qui ante legem (Moysis) fuerunt, omnes mortui sunt? si enim ex peccato mors

radicem habuit, et si non exstante lege peccatum non imputatur, quomodo mors dominabatur? Unde (en responsio) palam est, non peccatum illud, quod est legis (mosaicae) transgressio, sed illud Adami peccatum inobedientiae ipsum fuisse quod omnia perdidit. Et quaeenam huius rei probatio? Quod ante legem omnes morerentur. » Quod autem transierit in omnes etiam reatus Chrysostomus indicat tum verbis iam citatis sub n. 3, tum his quae ibi omisimus, et eodem contextu continentur. Opponens enim Christum Adamo, ait per illum homines acquisivisse *iustitiam* « Ideo typus est Christi Adam, quomodo, inquires, typus? quia sicut ille ex se ortus, licet non comederint de ligno, causa fuit mortis per cibum illum inductae, ita et Christus suis, licet non iuste egerint, iustitiae conciliator fuit, quam per crucem nobis omnibus largitus est. » Homines ergo iustitiam amiserant: per peccatum ergo Adami privato quoque sanctitatis inducta est. Porro privatum esse sanctitate perinde est ac esse peccatorem.

Cur igitur (ut ad 2. testimonium veniamus) explicans v. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi interpretatur peccatores non de reatu culpae, sed solum de debito poenae, ut ex iam citatis videtur?* Putat De Rubéis (De pecc. orig. c. 25) responsionem Chrysostomi incipere ab iis verbis; *invenietur enim* etc; quod nobis probari nequit; nimis enim manifeste haec necluntur cum immediate praecedentibus per nexum causalem. Et sane responsio ibi incipere videtur, ubi resumitur difficultas: *quid igitur hoc loco* etc. Verum ea postrema verba aperire possunt viam solutionis. Scilicet aiebant, si quis constituitur peccator peccato alterius, invenietur nec poenas debere, quippe qui nec sit vere peccator, cum nihil ipse egerit; poenas autem non debet nisi qui peccavit. Porro qui ita contra doctrinam catholicam argumentatur, sub appellatione *peccatoris* intelligit eum solum qui actualiter peccavit. Iam vero adverte Chrysostomum non negare illud principium *quod poenas tantum debet, qui peccavit*, negare vero actuale peccatum hominum esse de quo loquitur Paulus: peccatores enim ibi dicuntur *ὑπευθύνος κολάσει*, quod per se non infert esse actualiter peccatores. Si autem haec duo simul coniungas, satis liquebit nolle Chrysostomum dicere, quod poena solum peccati Adami transeat in posteros, non vero reatus. Sane nonne potius qui reus mortis dicitur etiam reus peccati dicitur propter quod dignus est morte? Cur ergo ita Chrysostomus interpretatur vocem *peccatores* nec aperte dicit omnes homines peccato obnoxios esse? Ratio ex contextu petenda est. Ut enim liquet, vox *peccatores* in ea obiectione, quam sibi proponit Chrysostomus, accipiebatur, vel facile accipi poterat ut signi-

ficaret actualia peccata, quam falsam interpretationem verborum Pauli noluit Chrysostomus illo modo confirmare; imo ut eam excluderet, significavit eum tantum reatum qui peccato habituali continetur ex peccato actuali alterius procedente. Quod quidem apte significatur, cum dicitur homines per inobedientiam Adami constitutos esse reos mortis et *ὑπευθύνος κολάσει*, nam *ὑπευθύνος* est culpabilis, qui rationibus reddendis est obnoxios, unde *ὑπευθύνος κολάσει* est qui obnoxios est supplicio propter culpam. Cum autem negat deinceps Chrysostomus Paulum rationem reddere cur ita factum sit ut nempe uno peccante omnes sint *ὑπευθύνος κολάσει*; id accipiendum est dictum de ratione sita in insitutione libera illius ordinis providentiae, ex quo consequens erat, ut uno peccante omnes reatum eius participarent.

Ad tertium respondet Augustinus Chrysostomum non negare infantes habere *peccatum*, sed negare infantes habere peccata, qua locutione plurali peccata propria, quae plurima esse possunt, significantur. Et re quidem vera liquet vel ex hoc loco probare Chrysostomum baptismum parvulorum; at dubitare non licet ipsi ignotam fuisse communem et explicite traditam Ecclesiae fidem, baptismum nempe conferri in remissionem peccatorum. Quapropter cum Chrysostomus in hac homilia sermonem habeat ad neophytos adultos, isque commendet beneficia iisdem per baptismum collata, sponte eius mens eo fertur ut cogitet ea beneficia quae adultis a baptismo proficiuntur. Inter haec autem est quoque remissio peccatorum actualium, quae ante baptismum admissa sunt. Horum remissionem negat esse unicum aut praecipuum effectum baptismi. Ceterum disertè asserit baptizari infantes ut eis addatur sanctitas et iustitia: sancti ergo non sunt ante baptismum; at sanctitas deesse nequit nisi existente peccato. Ergo.

Rursus alia duo afferuntur in medium testimonia. Primum ex hom. 39. in 1. Cor. n. 3. «Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Quid? omnes ne, dic quaeso, mortui sunt in Adam morte peccati? quomodo ergo Abel iustus in generatione sua? quomodo Abraham? quomodo Iob? quomodo alii omnes? Quid vero, dic rogo, omnes ne vivificabuntur in Christo? et ubi sunt qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur: si autem de iustitia, et peccato, nequaquam.» Porro id expeditur quemadmodum id quod attulimus ex interpretatione v. 19. de peccatis enim actualibus loquitur. Alterum obicitur ex hom. XVII. in eadem epist. n. 3. «Ab initio te Deus immortalē facere voluit, sed tu noluisti (peccavit ergo omnis homo in Adamo, qui peccato suo immortalitatem amisit).

Tunc enim non maeror, non dolor, non gemitus. Sed in dignitate illa non mansit. Quid ergo, iniquis, faciam ego? propter illum ne peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti, sed si non idipsam peccatum, aliud utique admisisti. » Cogita Chrysostomum alloqui baptizatos ideoque a peccato originali mundatos, qui se propter Adamum perire conquirebantur, eosque docere non propter Adami peccatum perituros, sed propter sua; loqui proinde de peccatis actualibus; et nihil erit difficultatis.

Quocirca evidens est posse testimonia Chrysostomi, ad quae adversarii provocant, sensum catholicum haud aegre exhibere. Si autem conferantur cum praecedentibus a nobis allatis, et harmonice componantur, ut decet, et si praeterea ad normam exigantur doctrinae catholicae, quam Chrysostomus professus est, manifestum erit ita quoque enarranda esse ut enarravimus.

Ceterum non erit abs re advertere rationem non unam tunc temporis fuisse, cur adeo explicitè et frequenter non urgeretur veritas peccati originalis. Etenim nulla adhuc contra hoc dogma haeresis prodierat in apertum, idem dogma communi sensu fidelium certissime credebatur, ac continua praxi baptismi confirmabatur. Praeterea ratione habita communis fidei idem dogma sufficienter proponebatur, cum diceretur per Adami peccatum omnes factos esse mortales, mors enim ut poena peccati originalis habebatur. Et sane pelagiani, qui peccatum originale negabant, negabant quoque propter peccatum Adae homines factos esse mortales. Tandem impugnatio haeresis manichaeae, quam Patres susceperant, effiebat, ut nisi specialis adesset ratio, qualis per pelagianam haeresim exsistit, non adeo frequens fieret sermo de peccato naturae.

V. Non est nobis animus eadem methodo persequi singillatim omnia testimonia Patrum, quae nobis obiciuntur, cum praesertim fere omnes animadversiones, quas ad Chrysostomum adhibuimus, valeant et in pluribus aliis. Ad Theodoretum quod spectat, si confaras explicationem eiusdem verborum traditam in Th. LXVI, certum erit ipsum affirmasse communem doctrinam. Sane docet ipse causam universalem mortis esse peccatum Adami; quae causa proinde valet in omnibus sive peccatoribus, sive iustis, sive infantibus: ita in epist. ad Rom. c. V. et Haeretic. fabular. L. V. c. 11. eandem locum versans: « cum unus peccasset, huius universum genus morti tradidit (divina iustitia): divina autem misericordia, cum omnes essent sub maledicto, et peccati laqueis essent irretiti, propter unius iustitiam dedit omnibus salutem. » Idque ab eo significatur plenus, cum docet universum humanum genus cum primo parente *condemnatum esse* ut liquet in dialogo qui inscribitur *Impatibilis*. Porro distinguit ipse duplicem

causam mortis, *universalem*, quae est peccatum Adami, et *particularem*, quae sunt in singulis peccata propria; (in c. V. epist. ad Rom.). Ex quibus satis apparet discessisse Theodoretum a doctrina Theodori Mopsuesteni, quo magistro erat usus, qui negabat mortem poenam esse peccati, primumque parentem posteritati suae nocuisse. Quare nulla est ratio cur quaedam Theodoretii locutiones exigendae sint ad sensum Theodori. Verba autem eiusdem Theodoretii, in quibus visus est aliquibus accepisse verba Apostoli *ἐφ' ὃ πάντες ἡμαρτον* de peccatis actualibus, iam explicavimus in Th. LXVI. ostendimusque sensum catholicum vere habere.

Porro commentarius eius in v. 7. Psalmi L. docet peccatum obtinuisse imperium in naturam, antequam Eva conciperet; et sic per generationem viam quandam et tramitem ad posteros per generationem effecisse. Cum vero in V. lib. haeret. fab. c. 18. ait: « Non enim, ut amentes Messaliani aiunt, novaculam tantum imitatur baptismus praecedentia auferens peccata, radicem vero eorum stirpit non excindens (ibid. IV. 11). Hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat baptismi; quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur, sed his maiora et perfectiora; cogitandum est ipsum loqui de peccatis actualibus quae proprie dici possunt gustari ab iis qui actu peccant, et quae ex superabundanti in baptismo delentur; haec enim sunt peccata quae a baptismo tanquam novacula radi, quin tamen sanctitas conferatur, dicebant Messaliani, qui loco peccati originalis docebant quendam daemonem inesse cuique homini ab origine, a quo ad mala impellitur, qui daemon sola oratione fugatur, ideoque sola oratione evelli radicem peccatorum. Contra hos ait Theodoretus imitatus hoc loco Chrysostomum, quod baptismus: « est arrha futurorum honorum, et typus futurae resurrectionis, et dominicae passionis communicatio, pallium salutis, tunica laetitiae, stola luminosa, vel potius lux ipsa. »

VI. Frustra affertur Cyrillus hierosolymitanus. Etenim 1) certum est ipsum peccatum originale asseruisse. Nam in Catech. II. n. 4. et 5. ait: « Per diabolum primus noster parens Adam expulsus est, ac paradysum sponte sua admirabiles fructus ferentem terra spinas ferente permutavit. Quid igitur? dixerit aliquis, *decepti pericimus* nullane deinceps salvi? *cecidimus*, num non licet resurgere? *excaecati sumus*, num fas non est visum recuperare? *caudi sumus* effecti, num spes non est aliquando recte recedendi? In summa dicam, mortui sumus, non licet ut resurgamus? Qui pretiosum sanguinem pro nobis effudit, ipse nos a peccato expedit, ne nos in desperatum abiciamus statum. » Et catech. 13. n. 1. ait homines in

universo orbe peccatis mortuos fuisse, omnes sub peccato detentos a Crucifixo solutos; vitamque iustitiae afferre Christum omnibus quemadmodum peccatum Adae mortem attulerat omnibus, quam mortem ne dum corporis, sed et animae esse satis indicat. Praeterea baptismum definit captivus pretium, peccatorum remissionem, mortem peccati, animae regenerationem etc. Atqui his omnibus plus minus clara professio peccati originalis continetur. Porro 2) quae producuntur in contrarium testimonia ad rem non faciunt. Primum est hoc ex Catech. II, n. 1. «Malum ex libera electione, voluntariae animi inductionis germen; nam quod propria sponte arbitrioque peccemus, palam dicit propheta etc.» Quaestio est cum Manichaeis, traditurque universalis doctrina sola voluntate peccari, quae valet etiam in peccato originis, quod nisi a prava voluntate Adami originem duceret nullum peccatum esset. Alterum est ex catech. IV, n. 19. «Disce quod priusquam anima in hunc mundum veniret, nihil peccavit; sed cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus.» Reicit nempe doctrinam praeexistentiae animarum quae tum peccaverint, et propter peccata tunc admissa, in corpora detrudantur ut poenas luan. Huic errori doctrina apposita eaque universalissima vera est ea quam opponit Cyrillus, peccatum nempe existit in anima *nunc* h. e. postquam corpori coniuncta est, ex libera voluntate. Hoc quidem distingui potest et in peccatum quod nunc sit in nobis ex libera propriaque voluntate, et in peccatum quod sit in nobis ex libera voluntate capitis naturae; sed haec distinctio ad questionem hanc, quam agitabat Cyrillus, minime pertinebat; unde nihil mirum si neque in mentem ei venerit.

Idem esto iudicium de Clemente Alexandrino, cuius testimonium affertur ex libro tertio Strom. c. 16. In eo libro a capite 6 usque ad finem disputat contra eos, qui matrimonium improbabant, eorumque argumenta dissolvit, inter quae hoc etiam exstat. Basilidiani nempe, ut probarent nuptias esse malas, malamque esse ipsam generationem, ita ratiocinabantur: «Nullus est sordis mundus, nec si sit quidem una dies vitae eius. Dicant ergo ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adae cecidit execrationem qui nihil est operatus.» Scilicet: infans recens natus non est mundus a sordibus, infans recens natus cadit sub Adae execrationem; at nequit sordes habere, aut sub Adae execrationem cadere per peccatum proprium, quia nihil est operatus; ergo sordescit et sub Adae execrationem cadit per peccatum parentum, qui gignendo peccant. Respondet Clemens: «restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem non solum eam, quae est corporis, sed etiam quae est animae, propter quam etiam corpus.» Absurdo

quod consequitur, nempe ipsam quoque animae creationem esse malam, Clemens absurdam esse sententiam eorum demonstrat. Interim adverte haereticos testes heic esse fidei catholicae de peccato originali. His namque verbis: *dicant nobis quomodo infans natus sub Adae cecidit execrationem*, arguunt ex doctrina quam Catholici profitebantur, quam quidem et ipsi non negabant, licet aliter interpretarentur; putabant enim infantes natos cadere sub Adae execrationem quatenus generatio activa parentum peccatum esset; peccatum nempe esset filios procreare, ideoque ipsi infantes geniti terminus sive obiectum essent peccati. Unde cum ad idem probandum afferrent verba Psal. L. 7. reponit Clemens: «Dicit prophetae quidem matrem Evam, sed Eva fuit mater viventium. Et si in peccatis fuit conceptus David, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum;» h. e. ipse non est conceptus in peccato generationis, ac si ipsa generatio sit mala, neque ipse conceptus est peccatum, h. e. terminus aut obiectum actus mali.

Ad Origenem quod spectat, fides eius a nonnullis in suspicionem adducitur, quia doctrina de praeexistentia animarum, quae peccaverint ante unionem cum corpore, conciliari nequit cum fide peccati originalis, et praeterea quia testimonia de peccato originali ad allegoricas trahit significationes. Verum 1) evidens est ipsum clarissime tradidisse dogma peccati originalis, ut hom. 8. in Levit. probans in infantibus esse peccatum quia ipsis quoque necessarius est baptismus: et cont. Celsum l. c. 2) Constat ipsi in more fuisse ut enarrato sensu litterali Scripturae, profundiores sensus allegoricos inquireret, quibus tamen nullo modo vellet sensum priorem evertere. 3) Cf. quae ex eo dedimus in Th. LXXVI.

Tertullianus quidem censuit *utilius esse* baptismum aetate adultis suscipere, ut Christiani fiant cum Christum nosse poterint. Verum cum dicit *utilius* hoc esse, adsignificat *utile* esse quoque parvulis baptismum: ideoque cum subdit: «quid finit innocens actus ad remissionem peccatorum?» innocentiam a peccatis actualibus intelligit. Ceterum ipse disertè dogma peccati originalis tradit. De Testim. animae c. 30. ait satanam esse «per quem homo ab initio circumventus, ut praeceptum Dei excederet: et propterea in mortem datus, exinde tantum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit.» Cf. p. I huius thesis.

Porro Nyssenus in epist. ad Hierium De infantibus qui praemature abripiuntur, hanc sibi ab eodem propositam questionem solvit: quid nempe cogitare oporteat de infantibus, qui priusquam sensibus vegetati et firmati sint, moriuntur? an illa quoque anima iudicium videbitur tribunali cum aliis sistetur? subibit actae vitae iudicium?

accipiet pro merito retributionem? Obiiciebat Hierius, quod, si infantes retributionem recipiunt, meliori versentur in conditione quam adulti, qui pugnare debent ut eam assequantur. Ceterum quoniam est ratio divinae providentiae ut homines vix natos et nedum vere homines in ortu perimat? Responsurus Nyssenus, id loco principii statuit vitam rationalis naturae in unione cum Deo consistere, et « sicut necessario consequitur ut is qui secundum naturam dispositus est videat, is vero cuius ex morbo natura vitata est, visionem non exerceat, eodem modo beata quoque vita est cognata ac propria eorum quibus animae sensoria purgata sunt: in quibus autem ignorantiae vitium quasi quaedam lippitudo participationi veri luminis officit, necessario sequitur, ut non sint participes eius vitae. » Tum distinctis adultis ab infantibus, docet adultos si bene purgati sint, et ignorantiae morbum, quo omnes propemodum corripuntur, a se expurgaverint, fructuosos ea beata vita: quod si secus fiat, ea carituros. Paellus vero infans, simplex, omnisque malitiae expertus, in eo, quod naturale est, versatur, sanitate quae per purgationem contingit, non indigens, quippe ab initio morbum in anima non admisit (h. e. actualiter non peccavit). » Tum docet animas perfectas adultorum ad incorpoream vitam traductas participaturas divinas delicias pro ratione habitus ac potentiae in ipsis existentis: « at anima quae virtutem nondum gustavit, eorum quidem malorum, quae ex improbitate oriuntur, expertus erit, illius autem vitae, quam Dei cognitionem et participationem definivimus, tantam in initio partem capiet, quanta capax est id quod nutritur (h. e. subiectum quod ea nutrirı potest), quoad tanquam cibo quodam convenienti et accommodato ad contemplationem eius, qui revera est, grandis effecta, maioris partis capax efficiatur. » Inde negat aequae vel magis beatum esse infantem adulto. Dein progreditur ad rationes quasdam probabiles reddendas cur Deus parvulos tam cito rapiat. Iam patet aequum esse arbitrari quod supponat Nyssenus parvulos hos esse baptizatos, 1) quia peccatum originale, quod omnibus est commune, ad hanc quaestionem non spectat, in qua parvuli cum adultis comparantur: 2) quia supponit hos parvulos consecuturos, licet minus perfecte, felicitatem propriam iustorum. Idcirco testimonium hoc ad rem non facit. Ceterum Nyssenus peccatum originale professus est in lib. de Vita Moysis, sive in mystica eiusdem interpretatione (Mig. Tom. XLIV, p. 336.).

Optatus autem Milevitanus, si eius est liber VII. adversus Parmenianum, negat peccata patrum imputari filiis secundum verba Dei Ezechiel. XVIII, ut probet reos non esse peccati traditionis eos qui a patribus traditoribus originem ducant. Huius rei in exemplum

adducit Seth filium Adae, ad quem peccatum patris non pertinuit. Spectavit peccatum Adae prout actuale fuit, quod reum peccati actualis filium non constituit. Cf. I. p. Thesis.

Implexa est quidem sententia Arnobii iunioris in Psal. L. attamen qua parte verba eius clara sunt, peccatum originale abunde testatur; « hic qui nascitur, sententiam Adae habet, peccatum vero suum non habet. »

Ad Ambrosiastrum quod spectat, si quaestio fiat an fideliter senserit cum Ecclesia catholica de peccato originali, affirmative absque ulla dubitatione respondendum est. Nam et id fit manifestum ex eodem testimonio quod obiici solet; ait enim in Comm. ad epist. ad Rom. c. V. « In quo, idest in Adam, omnes peccaverunt. Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse, quasi in massa; ipsa enim per peccatum corrupta, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes. » Atque id constat ex auctoritate Augustini, qui testimonium hoc idem profert contra pelagianos, nomen auctoris una nos docens, inquis L. IV. ad Bonif. c. 4. « Nam et sic s. Hilarius (iste Hilarius vixit tempore Damasi, fuitque Diaconus romanus, et schismatis luciferiani propagator) intellexit quod scriptum est: in quo omnes peccaverunt; ait namque; in quo, idest in Adamo omnes peccaverunt. Deinde addidit; manifestum in Adam omnes peccasse quasi in massa etc. » Quaestio ergo hermeneutica esse potest, quid voluerit dicere, cum in eodem loco ait: « est alia mors, quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur. » Responderi autem potest nomine gehennae, in qua est fletus et stridor dentium, damnationem cum poena sensus intellexisse, quae solis peccatis propriis debetur.

ARTICULUS II.

DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

Essentiam rei exhibet definitio. Definitio peccati originalis duplex dari potest: nempe definitio peccati originalis reduplicative accepti, et sic definitur peccatum quod nobis inest ab origine, vel a primo parente derivatum: vel definitio peccati originalis formaliter tantum accepti, h. e. secundum suam formam, seu secundum suas notas, quibus a parte rei constituitur, et propter quas competit ei praedicatum peccati originalis. Priorem definitionem iam supponimus ab ini-